

*Radix* fusiformis, crassa, biennis, apice subdivisa, caespitosa. *Caules* plures, adscendentes, sesquipedales, vel bipedales, fistulosi, teretes, villosi, semel aut bis dichotomi, apice racemosi, foliolosi. *Folia* obovata, acuta, integerrima, uninervia, densè villosa, glauca, basi in petiolum brevem, marginatum, decurrentia; radicalia biuncialia, vel majora; caulina longè minora, sensim diminuta in *bracteas* lanceolatas, exiguas, binas sub-singulo flore. *Flores* brevissimè pedunculati, alterni, erecti, nivei, *antheris* virescentibus. *Calyx* obovatus, vel clavatus, pilosus, membranaceus, angulis decem viridibus, crassis. *Petalorum unguis* lineares, coronà vel *appendiculâ* omninò ferè destituti; *laminae* bipartitæ, laciniis basi angustatis, apice rotundatis, latitudine variis. *Receptaculum proprium* longitudine germinis. *Stamina* petalis longiora. *Capsula* ovata, ore sexdentata. *Semina* reniformia, tuberculata, fusca.

a. Calyx.

c. Stamina et pistillum, cum receptaculo proprio.

e. Capsula, costis calycinis persistentibus ad basin receptaculi.

b. Petalum.

d. Pistillum.

f, F. Semen.

TABULA 414.

SILENE DIVARICATA.

SILENE petalis bipartitis rotundatis appendiculatis, caule dichotomo divaricato racemoso, foliis omnibus lanceolatis acutis.

In agro Cariensi. ♂.

*Radix* præcedentis, biennis. *Herba* tristè virens, piloso-incana; minùs villosa. *Caules* ferè bipedales, erecti, vel adscendentes, sæpè rubicundi, crassiusculi, fistulosi, undique foliosi; basi subramosi; supernè bis dichotomi, dein divaricati, spicati, multiflori. *Folia* lanceolata, undulata, integerrima, triplinervia, densè piloso-incana, circitèr triuncialia, utrinque acuta; basi in petiolum attenuata, pilosiora; summa in *bracteas* acutas, margine membranaceas, fimbriatas, diminuta. *Flores* subsessiles, cernui, albi, *antheris* virescentibus, exsertis. *Calyx* obovatus, villosus, nervis decem prominentibus, viridibus. *Petalorum unguis* sublineares; *laminae* bipartitæ, obovatae, *appendiculâ* conspicuâ, rotundatâ, bifidâ. *Receptaculum proprium* germine duplò longius. *Capsula* nobis desideratur.

Ex hæc et præcedente, nec non plurimis aliis, clarè patet, quòd petalorum corona, characteri generico nihil omninò inserviens, haud magis ad species serie naturali ordinandas valet.

a. Calyx.

b. Petalum, cum coronâ vel appendiculâ.

c. Basis calycis, cum receptaculo, stamina pistillumque gerente, amotis petalis.

d. Pistillum scorsim.